

comes et custos salutis datus, non ut regem modo, sed etiam ut alumnum, eximia caritate diligebat. Is non praeceps se, sed strenuum remedium afferre, tantamque vim morbi potione medicata levaturum esse promisit. Nulli promissum ejus placebat, praeter ipsum, cujus periculo pollicebatur. Omnia quippe facilius, quam moram, perpeti poterat: arma et acies erant; et victoriam in eo positam esse arbitrabatur, si tantum ante signa stare potuisset: id ipsum, quod post diem tertium medicamentum sumpturus esset (ita enim medicus praedixerat) aegre ferens. Inter haec a Parmenione, fidissimo purpuratorum, literas accipit, quibus ei denunciabat, ne salutem suam Philippo committeret: mille talentis a Dario, et spe nuptiarum sororis ejus esse corruptum. Ingentem animo sollicitudinem literae incusserant; et quidquid in utramque partem aut metus, aut spes subjecerat, secreta aestimatione pensabat. *Bibere perseverem? ut, si venenum datum fuerit, ne immerito quidem, quidquid acciderit, evenisse videatur? Damnem medici fidem? in tabernaculo ergo me opprimi patiar? At satius est alieno me mori scelere, quam metu meo.* Diu animo in diversa versato, nulli, quid scriptum esset, enuntiat: epistolamque, sigillo annuli sui impressam, pulvinò, cui incumbibat, subjecit. Inter has cogitationes biduo absumpto, illuxit à medico destinatus dies; et ille cum poculo, in quo medicamentum diluerat, intravit. Quo viso Alexander, levato corpore in cubitum, epistolam, à Parmenione missam, sinistra manu tenens, accipit poculum, et haurit interritus: tum epistolam Philippum legere jubet: nec a vultu legentis movit oculos, ratus, aliquas conscientiae notas in ipso ore posse deprehendere. Ille, epistola perlecta, plus indignationis, quam pavoris ostendit: projectisque amiculo et literis ante lectum: *Rex, inquit, semper quidem spiritus meus ex te pependit, sed nunc vere, arbitror, sacro ac venerabili ore trahitur. Crimen parricidii, quod mihi objectum est,*